Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26338
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tione nascuntur. Nam sic ab animo opus sumitur. ita rursus ab
opere animus eruditur. Mens quippe diuini amoris exordia ca
piens imperat bona que fiant. sed postquam fieri imperata ceperint. ipsis
suis exercitata actionibus discit. cum imperare bona inchoauerit.
quantum minus uidebat. foris ergo ager excolitur. ut postmodum
domus construatur. quia plerumque ab opere exteriore uidemus. quantam sub
tilitatem rectitudinis in corde teneamus.

Salemon. Ne iteres uerbum in oratione.

Quo dicto uir sapiens nequaquam nos prohibet sepe ueniam petere.
sed culpas iterare. Ac si aperte dicat. Cum male gesta defleueris
nequaquam rursum facias quod in precibus iterum plangas. Vt ergo ad precem
facies sine macula leuetur. ante orationis tempora debet sollicite
conspici. quicquid potest in oratione reprobari. Tale quippe se mens et cum
ab oratione cessat exhibere festinet. qualis apparere ipso iudici in o
rationis tempore exoptat. Sepe namque immunda quedam uel illicita in
animo uersamus. quotiens a precibus uacamus. sed cum se mens ad studia
orationis erexerit. earum rerum imagines reuberata patitur.
quibus libenter prius ociosa premebatur. et quasi iam faciem anima ad deum
leuare non sufficit. quia in se nimirum inquieta mente maculas pol
lute cogitationis erubescit. Sepe curis mundi libenter oc
cupamur. cumque post hec ad studium orationis intendimus nequaquam se
mens ad celestia erigit. quia pondus hanc terrene sollicitudi
nis in profundum mergit. et in prece facies munda non ostenditur.
quia cogitationis in fimo luto maculatur.

Iob. Qui deridetur ab amico suo sic ego. inuocabit deum et exau
diet eum. Sepe infirma mens cum de bonis actibus aura humani
fauoris excipitur. ad gaudia exteriora deriuatur. ut postponat
quod intus appetit. et in hoc libenter iaceat resoluta | quod foris